Causæ Veteris
EPITAPHII
EDITIO ALTERA.

ACCEDIT

Causa Vetus Conclamata.

QUOD TIBI FIERI NON VIS
ALTERI FACITO,

HIC CAUSÆ VETERIS MODUS,
HÆC MODERATIO.

NEAPOLI
Sive
Augustæ Trinobantûm:

Prostant in Officinâ *B. Tooke* in Cœmeterio Paulino,
An. Dom. MDCLXXXV.

UNIVERSITY LIBRARY
15 OCT
1936
CAMBRIDGE

~~12,543~~
56...909

Typographus Lectori.

DAmus hic tibi, Lector quiſquis es, Veritatem Nudam, ſeu potius furtivis coloribus denudatam: Exhibemus Terrarum Orbi Decimationes, Deprædationes, Rapinas, Cædes, Templorum Expilationes, & id genus alia, quæ dudum inter Opima Spolia numerata ſunt. Quæ Regi ac Martyri Beatiſſimo, quæ Genti Anglorum Univerſæ CAUSA VETUS Mala intulit, ignorat, aut ignorabit nemo, niſi Deſignati in Martyris Filium Parricidii Vir ſatis ſuperque ſibi Conſcius. Appello Manes Omnium quotquot ſive *Suſpendio*, ſive *Suicidio* Fatis (merito) ceſſere. Appello Vivos, quorum quotuſquiſque *Mille* non habet in ſe *Teſtes*, ut ut *Regi* ſæpe *Alter* defuit? Hos *Cauſa Vetus* Aſſeclas habuit, & habebit olim, ſi defuerint qui Perſonam ejus Capiti detrahere Audebunt. AUDOENUS, ſcio, Fato (non Suo) functus eſt, *Precationis Dominicæ*, dum vixit, *Irriſor Publicus*; Ad Plures abiit & CASUS, *Cœnæ Dominicæ*

minicæ non minus *Blaſphemus Luſor*; in *Abrahami* (utcunque) receptus *Sinum*, ejuſdemque *Parallelus*, (Fides modo ſit Doctori ἐγκωμιάζοντι.) *Gulielmus* etiam *Fenchinus*, Cenſura Eccleſiæ Juſtiſſima *Excommunicatus*, Carcerique (quo dudum digniſſimus incluſus, *ad Suum abivit locum.* Superſunt tamen Alii magis minuſque celebres, (Exoſa merito, non Ignota nomina) qui *Cauſæ Regiæ* tantiſper ſe bene velle profitentur, dum rurſus Deus ſit Nobiscum. Si quibus iſtiuſmodi farinæ (vel potius fermenti) occurras viris, eodem & Horatianum illud in mentem tibi veniat;

—*Hic Niger eſt, Hunc Tu, Romane, caveto.*

Cauſæ

Cauſæ Veteris EPITAPHIUM, IN ANTECESSUM, AB Anonymo Autore SCRIPTUM.

QUOD Felix, Fauſtúmque ſit Monarchiæ,
Nec non
Regiminis Monarchici Aſſertoribus:
Citra Spem Reſurgendi
Hîc ſita erit brevi CAUSA VETUS non BONA:
Quæ
Anno CIↃ IↃCXL^mo. Primo
Tentavit Tria Regna, Tria Corrupit;
Fidem Promiſit Principi, pactam Violavit;
Pietatem Profeſſa eſt, & Abdicavit;
Eccleſiam præ ſe tulit, & Poſthabuit;

A *Pacem*

UNIVERSITY LIBRARY 15 OCT 1936 CAMBRIDGE

Pacem Prætexuit, Bellum dedit Iniquiſſimum;
Regem Cladibus, Regios Oneribus oppreſſit;
Arriſit Peſſimis, irriſit Optimos:
Omnibus nocuit.
Pythoniſſa in Templo, ſeditioſa in Regno,
Larvata in Synodo, Perduellis in Concilio,
Prædatrix in Prælio;
Anglorum in Pace juxtà ac Bello Hoſtis.
Salutem Rerum Publicam primo turbavit, mox evertit;
Et Hujus ope vidimus
Abſcindi CAPUT REGIUM,
FRÆNARE Concives OLIVARIUM,
Dominari in Optimates PLEBEM.

Quid egerit velis? Pauca è multis audies:
Oravit Devoravit, Latrocinia exercuit;
Regum Palatia, Clericorum Prædia, Nobilium Latifundia
Hianti Ore, Latrante Stomacho, Canino Morſu
Deglutivit.
In Præcidaneas (futuræ Sacræ Cædis) Hoſtias
Cecidit, (porum Principem,
Hinc *Straffordium* Hiberniæ Proregem, Inde *Laudium* Epiſco-
Utroſque (ſine Culpâ) Optimos, (ſine Exemplo) Maximos:
Religionem Reformatam ivit, & Peſſundedit;
Epiſcopos ejecit Templis, & induxit Equos;
Choriſtas omnes expulit, immiſit Hiſtriones,
Cathedras Præſepibus, Tubis Organa mutavit;
Evangelium PACIS reſpuit, admiſit ARMATUM:
Gentem Diſſidiis, Urbem Furiis, Aulam Regiam Clamoribus,
Synodum Zelo, Senatum Faſtu, Popellum Rabie inferſit;
Incendio Omnia miſcuit, ut Civilem Flammam premeret,
Tyranni-

Tyrannidem exagitavit, ut Imperaret ipsa pro Arbitrio;
Malignorum Regios, Sanctorum Perduelles Titulo notavit;
Salutem Regiam præfata est, mox Sacrum abscidit Caput, (ret
Ut (ex mente Fœderis, Fideique Publicæ) eundem redde-
Non nisi Martyrio Gloriosum.

Cæsâ Barbarè Regali Victimâ, exulante Filio,
Cœlum ipsum Precibus, Pios Religione Fictâ delassavit.
Perduelles Socios ad Astra extulit, Regiis Solum invidit;
Nonnullos Carceribus inclusit, alios ad Insulas ablegavit;
Pretium Sceleris Diademata, Fidelitatis Cruces statuit;
Feminas Annulis ac Monilibus, Maritos Vasis Aureis Argenteisq;
Emunxit;
Hujusque sub Auspiciis
In *Conciliis* floruit, in Suggestis Triumphavit
Clericorum Dedecus & Carcinóma,
Pantomimωn (in Sacris) Coryphæus
Bipedum Nequissimus
Hugo Petrius.
Refixo piè Rerum ac Religionis Statu,
Nè Solida deessent Fulcra ac Tibicines
Qui novum hoc Chaos sustentarent,
Selegit
De Fæce Plebis Dominos, de Subulâ Pares,
Nebulonum Nasutissimum (Zythepsam) Protectorem,
Capita Senatûs Caudam,
Custodes Angliæ Libertatum
Meros Prædones.

Quod Divum nobis promittere nemo
Auderet,

Avito Solio quasi postliminiò reduce CAROLO
Annuente palam DEO, procurante D. AUMERLIO,
Anglorum CUNCTATORE FABIO,
Ἀμνηστίαν inhiavit ac promisit sibi, non promeruit,
Utpote CUJUS Sceleri non unus debebatur Culeus,
Obtinuit tamen.
Inauditam Regis Serenissimi Indulgentiam
Quibus posteà Officiis demereri studuit,
Paucis accipite. (Contumeliis,
REGEM Imprimis Clementissimum Calumniis, FRATREM
Ecclesiam ANGLICANAM Spurcissimis Mendaciis,
Fidos Regi Administros DICTERIIS, SCOMMATISQUE
Ornare (pro re natâ) nunquam destitit.
Invictam voluit Patientiam in Furorem vertere,
Sed nihil profecit.
TRIBUNITIOS FURORES nuperiùs Asserere tentavit;
Inauspicatò Assertis doluit. (amisit,
Quod vero unicè Deflendum; Patronum nuper nobilissimum
Trium Nominum ac Literarum Hominem,
Regnorum Trium Pestem ac Incendium.

Idcircò
CAUSA, dudum Querula, nunc (etiam) languida & anhela,
(Quod GENTI PATRIÆ benè cedat precor)
Supremum confestìm Actura est Spiritum:
Diemque (nisi fallimur) obibit, ac Moriens
LEGABIT
Regi Serenissimo, quem Amâsse videri voluit, & perosa est,
(Utrâsque capsulis inclusas Aureis)
PANDORÆ Pyxidem, & SAGUNTINAM Famem,
Eboracensi Illustrissimo sive preces, sive diras (nam perinde
sonant) Episco-

Episcoporum Ordini COBRI Patrimonium, scil.
TOTUM NIL:
Universo Clero Anglicano, Agentis Animam Suspiria,
Vice Anathematum.

Relinquet insuper
Urbeculæ Rebelli & Principibus infestæ,
CHARTAM inanem, sive RASAM TABULAM.
Anglorum *Igni Fatuo*, sive *Polypo Polonienſi*,
Vel Fugam Maturam, vel Securim.
Consuli nuper *Pilkintono* Æs Sueciæ, cum Favore Plebis;
Collegæ ejus Bibulo CANARIENSES INSULAS;
Sibi à Camerâ Officiario, cum Procuratrice Vetulâ,
Venerem quoque Venustissimam;
QuixOtio Salam^no. Equitis *Asiani* sive *Cappadocis*
Facultatem integram in MONOPOLIUM:
Et pro 700^tis. ob Causam Publicam Deperditis,
Paupertatem Splendidam.
Leguleio suo Ordinario ob Rem strenuè Actam
Et cum Pellice, & contra Principem,
In *Hibernià* Decanatum. (biem,
Dilecto suo CARO Pilularum q. s. ad Tollendam quamvis Sca-
Præter Unicam Pruriginem Scribendi.
Novarum Rerum studiosis TONIANAM FISTULAM.
Monarchiæ Infensissimis ad unum omnibus,
A Rege & Clero (denuò) reportanda *Ad Gr. Calend.*
OPIMA SPOLIA.

Quò tandem evasura est Edentula, Moribunda VETULA,
Olim Malorum nobis Ilias, nunc sibi Orci Pabulum;
Rectà ad Cœlum ibit, non Empyræum sed Ignatianum:

Ibi PERDUELLIBUS immisti LOYOLITÆ
Quàm benè conveniunt & in Unâ sede morantur?

Sepulturæ locum statuit Seligere
In FOEDERATA BELGIA, vel POLONIA,
Vel si qua alia Terrarum Plagà
Honoratur Plebs, Vilescunt Optimates,
Res nihili est MAJESTAS REGIA.

In Tumuli Marmore Inscribi hæc jubet.

CAROLIDUM, PATRIÆ, CLERI communis Erinnys
Clausa sub hoc jaceo Marmore CAUSA VETUS.
Bella per Angliacos plusquam Civilia Campos
Quæ priùs excivi, Plura datura fui:
Sed vicit Cæsar, cessitque *Antonius*; omnes
Cessuri SACRO Cæsaris IMPERIO.
Ergo EGO *cum gemitu fugio Indignata*, per *Orcum*,
Quas nequeo in Terris, spargere certa Faces.

ΣΤΗΛΙΤΕΥΤΙΚΟΣ:

SIVE,

Cauſa VETUS Conclamata.

JAcet,
Sepulta eſt,
Regum ſub Auſpiciis nullatenus Revictura,
Felix Scelus, olim Virtus dicta,
Malorum apud Anglos omnium
VETUS CAUSA:
Quæ Primitùs
ELISÆ obfuit Imperio, nè eſſet ſereniſſimnm;
Tranquilla PACIFICI REGIS tempora Procellis miſcuit.
Ne Pacatiora SUCCESSORI daret;
Omni omnium Encomio Superiorem
ECCLESIÆ, PATRIÆQUE PATREM
INFANDO PARRICIDIO
TRUCIDAVIT.
Britannici Imperii HÆREDEM,
Diù EXULEM, aliquandò tandem REGEM
Fecit,
CAROLUM à CAROLO;
Fortunæ Utriúſque Participem, ſed Dominum,
A Patre Alterum, Secundum nulli;
Utpote Quem
Celebrata latè apud Exteras Gentes Fama,
Pacati (dum Arderet Orbis) Regni Gloria,
Pacis, per Europam, Bellique juxta,

Arbi-

Arbitrum Unicum ac Sequeſtrum
Dedit:
Domi quinetiam
Aſſerta Eccleſia, profligatum Schiſma,
Motus Civici ſuppreſſi, Diſſidia diſſipata;
Deſperatæ diu, diutiùs deſideratæ,
PAX cum ASTREA nuperius reverſæ,
Et Hoſtium Victorem & Sui
Terrarum Orbi affirmavere.

Matronæ hujus, ſeu Meretricis veriùs,
(Genevenſis hodiè, nuper Babylonicæ)
Primævam ſi repetis Progeniem,
Avos, *Proavos*, *Abavos*, *Tritavos*,
Proſapiam benè longam memorat;
Quotquot Audaci niſu in Phlegræis Campis
Imperium (incaſsùm licet) Jovi invidêre;
Typhoea maximè & Enceladum,
Quò rectiùs Myſteriis Initianda foret,
Sponſores obtinuit & Vades,
A Liparæis Inſulis,
BRONTEN, STEROPEN, & PYRACMONA,
Aſſiſtente POLYPHEMO;
(Obſtetricata priùs fuerat huic CAUSÆ
Dea Nemeſis,)
Cui Comites fuêre Genevenſes Gratiæ
ALECTO cum MEGÆRA & TISIPHONE,
Hactenus Gentium ſub Patrocinio.

Aliquando tandem
Ad Caſtra Ciſalpina vilis Transfuga,

Monia-

Monialis Religiosa videri voluit,
Et sub *Cucullo* latuit.
Donec
Matronæ Languidæ & Cancellis inclusæ
Suppetias Venêre
(Duûmviri examussìm ad id nati)
IGNATIUS & CALVINUS Simul.

Ast Palabunda Scraptia
Non His contenta Vadibus,
Britanniarum commigravit Insulas,
Divisas (olim) penitùs toto Orbe,
Ulterius à Seipsis (mox) Hujus ope
Dividendas:
Et Divisit certè, imò & Imperavit;
Sed Vi, Malisque parta Artibus Dominatio
Non Diù stetit.
Reducto quippe ad Paternum Solium Τρὶς Σέβαστῷ,
EXIIT TYRANNIS PLEBEIORUM,
(Quod Auguror) apud *Anglos* ULTIMA.
Ex Illo Pax, & Parricidii Nefandi ἈΜΝΗΣΤΙ΄Α,
Ex Parte Regis Serenissimi,
Non item Populi:
BRUTORUM ferax Anglia, Reges TARQUĪNĪOS
Inprimìs nominat, ut mox SUPERBOS vocet:
Eoque ipso nomine vel Trucidet,
Vel Solo Solióque arceat,
Lucretia quippe CAUSA fuit.

Sed non ferenda sunt Longæ Pacis Mala
Luxus quippe nimius ac Divitiæ

Mores Seculi Afflixêre:
Ita intrà Biennium ſurrexit Gens Fanatica, *A.* 1661.
Armata Zelo, Urbis in Meditullio,
Deturbatura CAROLUM Solio,
Quò JESUM Aſſereret Suo;
Incaſsùm tamen.

Cùm Vi & Armis parùm, aut nihil poterant,
Itum eſt ad Incendia;
Et ab ejuſdem Commatis ac Farinæ viris
Trecentos propè Annos *Româ* Vetuſtior Urbs,
Angliæ Domina ac *Metropolis*
* Patentibus (in Anteceſſum) Regnum Conſciis
Ipſo ſuſpendii in Articulo,
Suis Ruderibus immiſcebatur,
Jacturamque paſſa eſt Urbs *Londinum*,
Quam *Roma* debuit.

* *Adi ſchedas Hebdomad. Ann. 1666. Apr. 26.*

Ab hâc Infandâ clade ſopitæ Furiæ,
Pax incubavit *Angliæ* ſuprà Biluſtrium,
Et, niſi Factionis Zelotypia ſuaſiſſet Alia,
PACIFICI AUGUSTI ſecula,
Imperante CAROLO, deprendiſſemus.

Donec
Moliri tàm Nefaria in nos Papicolas,
Religionem, Regem, Regimen everſum ire,
Peregrinos, neſcio quos
(Penes Teſtem fides eſto)
Zelo Cæco, ‖ *Nigris Bipennibus*,
Quò minùs (putà) proderentur, Inſtructiſſimos

‖ *Vide Narrat. Titi Ambroſii.*

In

In nos inducere;
Equorum magnam vim, nec non & Equitum
In Locis abditam verè Subterraneis
Fovere, nec dum Viſos:
Hinc Clades & Patibula, & Cædes Viri Nobilis;
* Direptiones factæ ac Incendia,
Papiſmum ſiquid leviter ſuboleret;
Hinc Ordo Epiſcoporum Pondus Grave,
Et (ſicut olim *Bajulis*) non ferendum.

* *Conſule ſuper his Gul. Waller, & Catum Farringdonum.*

Siqui Conſilio, ſiqui Miniſterio
Ter fido fulsêre ſolium;
Comes aut Par ſit licèt;
Sit LEOLINUS Mortalium Integerrimus
Vir ad Meliora (non Reip.) ſed Regni natus Tempora;
|| Exteri non minùs Orbis Stupor, quàm Præſidium ſui; * *Novio magi.*
CAMBRORUM Gentis Gloria, ac Illuſtris Decor:

Eſto GEOFRISIUS, Angliæ GEORGIUS,
Pro Salute Regis, Patriæque Publicâ
Auſus ea,
Quæ Magni viri, at at Puſillanimes
Recuſavere Segniter;
CAMBRO-BRITANNORUM Par Decus:
Eſto L' ESTRANGIUS
SCHISMATIS Malleus, CAUSÆQUE Veteris
Penna vel Anſerinâ Capitolii noſtri STATOR;
Damnandi meritò ſunt, aut execrandi.

MOLOSSUS. *Ang.* Towzer.

Quin ipſe Rex adductus in commercium,
In ſe fit Læſæ Majeſtatis Reus,

Dum ſolus in Hunc Actor eſt *QuixOtius*
Britanniarum (ſi credis) ΣΩΤΗΡ Unicus.

Cùm, ecce, Aliud ex Alio Malum!
* Stravêre viam Pulerè Romæ Affeclæ
Videbis oppidò & Fanaticos ſequaces;
Providêre Pii ſubditi nè Carolus Aliâ
Jaceret manu, quem ſternere Decrêrant ſuâ;
Malè illis eſt ceſſit Pyria in Avum Conjuratio,
Patrem præ foribus cecîdit horum Felicius ſcelus; 1648.
Illi ‖ Diplomatîs reclamâvere omnibus, 1679.
Habemus (utinam omnes!) hîc confitentes Reos;
Sicarios Papicolæ in ſuum conduxêre Facinus,
* Hi Marte Proprio Regem Deletum volunt;
Unâ ſtremendus Glande Rex à Sacrificulis,
Cavêre Pii quò Pluribus confoſſus cadat;
Pars utraque tamen Auſis excidit:

Nam
Nihil nos perculêre *Papæ Bruta Fulmina*,
Quin & *Genevenſi* ſalvi emerſimus è Lacu;
Effecit Ignis Sacer ac Salutaris,
Ut parùm in nos poſſet, vel *Purgatorius*,
Vel, *Igne* Fictitio Ardentior, *Schiſmatis Zelus*:
Igne purgandi fuimus obtinente Papa
Si *Sobrior Pars* Gentis, Excoriandi Tantùm;
Pars utraque in nos Crudeliter Clemens;

* *Paralleli ſequentis pars altera Doctoris* Salamantici *Veracitate maximam partem nititur*, ὥνπερ ἔδει δεῖξαι.

‖ *Ludos putate Seculares, quos nemo mortalium aut vidit, aut viſurus eſt.*

* *Conferantur Suffragia Dom. Com. de morte Regis in Papiſtas ulciſcendâ, cum Teſtimonio poſtmodùm exhibito in Actione contrà Perduelles, Qui Omne Punctum non Tulêre.*

Sed

Sed vicit Deus Regum Stator Unicus,
VETUSQUE CAUSA; causâ jam cecidit suâ.

Si quibus Reflorescere studuit Artibus
Audire vacat; habetote brevibus.
Motus inprimis CAUSA excivit Civicos;
Regem, Prætoremque Regium juxtà habuit,
Res Nullî Pretii, nomina Inania,
Nil suspicata, non tàm quadraturum * MORO, * *Quem—non Civium Ardor, &c.*
Quàm sibi, *Encomium Moriæ.*
Apparuit id tempus CAUSÆ manum qui porriceret
ASSOCIATOR suprà livorem Lividus,
Animulæ in Causam satìs Prodigus
Sive Homo, sive Papilio;
Cujus Adminiculo * Prætor Londinensis * *Ds. Gul. Pritchard.*
In Vincula tantùm non conjectus,
Ut *Inter Arma Silerent leges*;
Fefellit tamen Mortalem Stratagema,
Et IGNORAMUS Dulmanni Descam cepit.

Primas obtinuit in parte Pejerantium,
Quondam Tyronum Ductor Perduellium
Samuel Endorensis,
Cujus nomini accinit * GEHENNÆ SULPHUR, * *Satan, Fire & Brimstone.*
Post ANTONIUM futurus (fortè) ibi loci comes.

Palmarius tamen CAUSÆ Assertor fuit.
PAR, cui nec secula vidêre Parem,
* ANTONIUS-ANGLO-COPERNICUS,

* *Nunquam, si quid mihi credis, amavi Hunc hominem.*

Regnorum, non Terræ Motor,
Perduellium Aſtrorum Lucifer,
Qui Occidens tamen ſe confeſſus eſt
Non Aſtrum, ſed Meteorum Ignitum.
Aſtipulabatur Ductori Nobiliſſimo
Fergusſonus à *Latere Legatus*,
Audax * Falsarius, Perduellis Sacer,
Gentis Scoticæ (olim) Propudium,
Anglorum, ſi obtinuiſſet Scelus,
Ruina futurus & Pernicies.
Affuerat (dudùm) & Stephanus Collegius,
In ſuam Ipsius Perniciem Vir verè Dædalus;
Qui, Rebus Novis quoniam ſemper ſtuduit,
Ut Inopino Ictu Regios Peſſúndaret,
Excogitavit * Tribulas Tornatiles,
Miranda Dictu, Necis Inſtrumenta
E Ligno Vitæ!
Quin Iſte vitam mentiſſimo finiens ſuſpendio,
‖ Rarum *Oxonii* Spectaculum (extrà Theatrum) fuit.

* Proteſtant Flayls.

‖ O RAREE SHEW!

Nec defuere Circulatores Alii,
Papismi in tantum Osores,
Ut Romæ Byzantium,
Papæ Mahumeden
Hâc Maximè ratione Prælaturi eſſent,
Quia ſummus Turcarum Imperator
Et Christo pariter & Antichristo
Nuperiùs indixiſſet Bellum;

* *Conſule ſuper hoc Dominum* Rob. Viner, *de Ligâ ſive Obligatione, non Solenni.*

Parm-

Parúmque abfuit quin Muſulmanni Omnes fierent,
Qui Turcis tantoperè favêre,
Niſi Dura obeſſet Carnis Circumciſio
Præputiatis (priùs) Animo.
Hi Claſſicum huic CAUSÆ cecinêre è ſuggeſtis;
Stentoreo Pulmone Therſitæ egêre Partes,
Popellóque ad Inſaniam proclivi addidêre calcar;
Perfeciſſentque. Niſi OBSERVATOR,
Ulyſſes Alter horum Ἀμετροεπέων.
Infandam ſpurcitiem caſtigâſſet.

Favêre, utcunque, & favent His Viri MEDIOXUMI,
Eraſmi inſtar, inter utrúmque Penſiles,
Nec CAUSÆ Reclamantes, nec (niſi pro rê natâ) REGI.
Solenne his eſt MODERATE ſe gerere,
Dum REGI à Rebellibus ponatur MODUS;
O VIROS, Opobalſama ſpirantes!
Hi Famæ Longæ non ſtudent, venantur Latam
Eóque Dicti LATITUDINARII:
Æoli putate filios, ſunt valdè varii,
Qualem fuiſſe perhibet Anus Fama
BRAIENSEM quondam Titulo VICARIUM.

Horum Primarius ſaltem, licèt non Primus,
Gilbertus, Homo ipſe Magnes,
Qui Facem è Tenebris CAUSÆ prætulit,
Reformationem ipſam Reformando
Sororis PHILADELPHIÆ ad exemplar;
Cujus Opellæ merito (&c.) Nemine contradicente
Poſt Mortem INHUMETUR, velim.

Hujus

Hujus INGRATI pedibus in ſententiam
Ivêre & alii, magìs minúſque celebres,
Qui Reformata (tacitè) optant omnia
Ad quævis Ipſi denuò formandi Tempora.
His freta Amicis, ac inſtructa Ducibus
Proceſſit CAUSÆ Phalanx,
Quæ, PRIAMI NOSTRI Regnum ut everteret,
TROJAMQUE NOVAM flammis ac cæde ſterneret,
URBECULAM in plures diviſit Portiunculas,
Quingentos cuique Tribui ſignans Sicarios,
Quò uno velut Interitu miſceret Omnes.

Has inter clades genere Aucupii Novo
Illaqueandi, MERULA cum ACANTHIDE,
Niſi hos Sacros Aucupes prævertiſſet
Meliori Auſpicio Deus.

Ex Illo CAUSÆ mors, & ſupremum (niſi fallor) Funus;
Conſilia Detecta, patefactæ FRAUDES PIÆ
Etiam inter *Fratres Fraterrimos Genevenſes*:
Detractâ Larvâ totum jam patuit ſcelus
Fuitque in *Zelo* AMSTELODAMENSIUM
Quod poſt PAPARUM *Ignes* timeretur.

REBELLI idcircò CAUSÆ Longum dicatur VALE.

Nam
Nil CAUSÆ Profuit
Moriens *Antonius* MACHIAVELLUS *Anglicus*,
FACINORIS Protoplaſta & Coryphæus,
E cujus Cerebello Lethale magìs fluxit Virus

Quàm

Quàm ex Ulceratis per Tubulam Pulmonibus;
Homo Pus Totus ac Venenum:
Elangüit, fateor, Securi non percussus,
Quâ Dignissimus;
Quia Totum in Pœnas Asserere voluit Sibi
Seditionis ac Rebellium Choragus Lucifer

Nil *Arthurus*, Comes *Essexius*
A Rege Serenissimo (ob *Patris* merita) Opibus Auctus,
Honoribus etiam cumulatus;
Qui Reus tamen, Turríque inclusus *Londinensi*
Millenis Testibus, h. e. Conscientiâ,
Inauspicatum Læsæ Majestatis Scelus confirmavit;
Deflendúmque bonis omnibus Patris Hon^mi. Martyrium.
Horrendo * Suicidio fœdavit.

* *Dubito an Catonis nobile Lethum?*

Nil Russelius,
Causæ Pulcher Hylas
Immaturum (non Immeritum) in se accersens Fatum
Qui Posteris Fatale Documentum dedit,
D. O. M. Monarchiæ Vindicem Justissimum,
Ob Proavorum perperàm gesta, etiam in Nepotes,
Seriùs licèt, aliquando tamen, animadversurum.

Nil Algernonius,
De Gente Nobilissimâ Oriundus,
Sed Sequiori Vir imbutus Ingenio
Et Matchiavelli sui per omnia Æmulus;
Hobbesii & Causæ Martyr, & Superbiæ:
Huic parùm fuit Invidisse Regi *Solium*

Qui Deum (si posset) deturbâsset Suo.
Quid multis? ut vixerat, sic obiit, ATHEUS.

Nil mortalium Ingratissimus *Armstrongius*
Auratus Eques, FERREI SECLI Miles,
Utriúsque Corruptor sexûs,
Vir Flagitiis (omne genus) coopertus,
Utpote
Bibax, *Atheus*, *Gurges*, *Homicida*, *Mœchus*,
Cujus Suspendium Deflere debet nemo
Nisi Sceleris ejusdem Conscius, nisi Parricîda,
Nisi Stuprator, nisi Heluo,
Nisi Vir per omnia *Thomæ* similis.

Nil Lycanthropus (olim) Kidderminstrius,
Animi Morbum Corporeo confessus *Malo*,
Monstrum Hominis tam sui simile, ut ab omnibus discrepet;
Nec aliud in Pectore, aut intimis Medullis foveat;
Præter *Morbum Veterem* & CAUSAM.
Margaretæ viduus, quæ à Viro tamen
Viva non obtinuit
Magìs ut studeret, ac scribillaret minùs.
Vir, cætera Innocuus, nisi Sabaudiæ
Nisi in Synodo, vel in Salopiensi Agro.

Nil *Jenchinus Plagiarius Sacrilegus*,
In funere Hominis * (vix *Pii*) *Mendax Impius*; * *Laz. Seam.*
Fusi REGALIS SANGUINIS Assertor (dudùm) Impudens.
Insulsus, Audax, Balatro, Circulator, Hippoplanus;
Qui perfidè Ipsi CAUSÆ studuit, Rectiùs SIBI,
Eôdem & REGIS Desertor, & *Lovii Sui.*

Quid

Quid multis?
Nil LIGA SOLENNIS, Nil ASSOCIATIO,
Nil *Preces*, *Lacrymæ*, *Vota Impia*, ſed *Inania*,
Nil *Conjurati* in *Nos Ordines Diſcrepantium*,
Nil CONCILIABULA, nedum *Conventicula*,
Nil ipſe TURCA, *Amor* ac *Deliciæ Inhumani Generis*,
Nil *Pæderaſta* OTUS ſive EPHIALTES,
Religionis Verſipellis Proteus,
A *Naylero Muggletonus*, à *Satanâ Diabolus*,
A *Judâ Proditor*, ac ‖ FURCIFERORUM FURCIFER;
Nil Artes Diabolicæ in Nomine Domini meditatæ,
Nil Livor, nil Malitia, nil Perjuria viciès Repetita
In CAUSAM profuêre.
In Ignem poſita eſt, & fletur à *Rebellibus*,
SUIS & IPSA CAUSA VIRIBUS RUIT.

‖ Angl. *The RASKAL of Raſcals.*

1936 CAMBRIDGE

FINIS.